



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XX. Patrum testimonia, quæ omnia bona opera gratiæ tribuunt,
exponuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

sanctis viris sic loquitur. Quidquid mali sibi inesse cogitat, de mortali propagine sentit meritum, quidquid vero in se boni inspicit, immortalis gratiæ agnoscunt donum, &c. Nec inter hæc duo medium constituit. Richard. autem Victorin. tract. 1. de statu interioris hominis p. 1. c. 33. tria genera operum distinguere videtur, scilicet, bonum, quod est ad meritum, & malum, quod est ad reatum, & aliud, quod neque est ad meritum, neque ad reatum, quod ipse vocat commodum, & posset etiam vocari indifferens. Et ita non videtur agnouisse bona opera moralia, quæ solo arbitrio fieri possint, nam ea, quæ sunt ad meritum, expresse dicit, non posse fieri sine gratia.

CAPVT XX.

Patrum testimonia, quæ omnia bona opera gratiæ tribuunt, exponuntur.

Deo, ut auctore principali gratiæ, & à Christo ut redemptore, vel iustificatore.

Quæ doctrina verissima est, quam alijs etiam locis infinuat D. Thomas, vt Ioann. 15. lect. 1. & 1. 2. quæstione 109. articulo 1. ad 1. & in 2. distinctione 28. Vt tamen notauit Conrad. 1. 2. quæstione 109. articulo secundo, circa argumentum, *Sed contra*, non potest nibus testim. hæc responsio ad omnia testimonia accommodari, *latè facit*. quia licet nonnulla possint abstractè, & generatim intelligi de diuina influenza, præscindendo à naturali, vel gratuita, & à gratia proprie, vel largè sumpta: nihilominus in multis clarum est, sermonem esse de gratia propria, & saluante, seu auxiliante per Christum. Imo frequentius, ac fere semper loquuntur Patres de proprio influxu, & auxilio gratiæ in locis citatis, vt attingendo singula statim patebit. Ideoque Doctores communiter aliam partem responsionis D. Thomæ sequuti sunt, vt Sancti in locis allegatis, non de quocunque actu bono, sed cum aliqua determinatione restringente actum ad habentem, vel participantem aliquo modo bonitatem supernaturalem loquuti sint. Ita Caietan. dicta quæstione 109. articulo 2. dub. 3. & ibid. Conrad. Soto lib. de Natur. & Grat. capite 21. Veg. opuscul. de Iustificat. quæstione 12. Ruard. articul. 7. de Iustificat. §. Et quia articulus, Roffen. articulo 36. §. Augustinus planè, & Osius in Confess. cap. 73. parum à princ. Dried. libr. 1. de Grat. & liber. arbitr. tract. 2. cap. 2. p. 2. in principio, Stapleton libr. secundo, de Corrupt. naturæ cap. 12. & 13. At vero isti Authores varijs modis explicant limitationem hanc, vel quasi specificationem bonorū actuum, de quibus Sancti loquuntur, cum gratiæ auxilium ad illos efficiendos requirunt, & non omnes possunt ad omnia testimonia applicari, nisi vel ad eundem sensum reducuntur, vel non singuli modi ad omnia testimonia applicentur, nam id fieri non poterit, sed singula singulis iuxta illorum exigentiam. Quod breuiter ostendimus per singula verba Doctorum discurrendo.

Primus ergo modus explicandi dicta testimonia est, vt loquatur de opere meritorio. Ita D. Thomas locis citatis, quem sequuntur Conrad. & alij moderni expositores, & Stapleton. dicto cap. 16. ex parte Almain. tract. 1. Moral. capite 16. in fine, & Torrenf. in Confess. August. libr. 2. cap. 3. §. 10. Potestque sumi ex Cœlestino Papa epistol. ad Episcop. Galliar. cap. octauo, dicente, *Quod omnia studia, & omnia opera ac merita Sanctorum ad Deigloriam, laudemque referenda sunt, quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo, quod ipse donauerit*. In qua sententia aperte sermo est de operibus, quæ ita Deo placent, vt sint etiam sancta merita. Et in illius probationem inducitur altera sententia Zofimi Papæ in epistola ad totius orbis Episcopos. Nos autem instinctu Dei omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur ad Fratrum, & Coepiscoporum nostrorum consensientias vniuersa retulimus. Quæ verba Patres Africani venerati sunt valde, & ideo sic dicta fuisse intellexerunt, vt ibidem refertur, quia preparatur voluntas à Domino, & vt boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium, vbi aperte loquuntur Patres Africani de operibus procedentibus à fide, & à gratia interna superioris ordinis, quam iidem Patres vocant *subministrationem Spiritus, & occultam misericordiam*, epistol. 95. ad Innocent.

Vnde subiungunt in priori loco probationem ex illo Romanor. 8. Quotquot spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Vt nec nostrum (aiunt) deesse sentiamus arbitrium, & in amplius bonis quibusque voluntatis humana singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium. In qua verborum serie in primis manifestum est, in illorum fine vocari absolute bonos voluntatis motus, qui in principio dicti fuerunt bona studia, & merita Sanctorum, ad quæ Deus preparat voluntates suorum tangendo corda fidelium. Deinde pondero particulam illam, *Fidelium*, quæ per illam indicatur, tantum de illorum bonis operibus

1. Vt vero apertissime constat, hæc omnia testimonia nihil nostræ, vel potius communis, & antiquæ sententiæ officere, præ oculis habendum est, illa omnia dicta esse contra Pelagium vt ex dictis in proleg. 6. circa Concilio rum, & Patrum testimonia, constat: & ex sequentibus fiet etiam manifestum. Oñsum autem à nobis est sententiam Theologorum, quod aliquod bonum opus morale fieri possit viribus liberi arbitrii sine gratia; nihil commercij habere cum errore Pelagij. Imo etiam monstrauimus, id fuisse à Pio V. & Gregorio XIII. virtute declaratum, dum enim propositiones Baij 23. 36. & alias, in quibus notam illam illi sententiæ inurere tentauit, omnino reprobant, atq; damnantur; satis clare significarunt neque sententiam, quam defendimus, ad Pelagium pertinere: neque sanctorum Patrum mentem fuisse aliquid contra eam docere. Et magna quidem ratione. Nam cum post illas Patrum sententias, ac definitiones ab Scholasticis Doctoribus, sanctitate, & sapientia insignibus, sententia illa communi fere consensu recepta, & tot sæculis ab Ecclesia non solum tolerata, sed etiam longe probabilior existimata fuerit, verisimile non est, aut ad Pelagium accedere, aut à Patribus discordare. Hæc enim duo in hac materia coniunctissima sunt. Et ideo qui putant illa testimonia nostræ sententiæ esse contraria, consequenter putant, nostram sententiam Pelagij errorem inuolueret, quod Pontifices saltem vt scandalosum, & temerarium damnant. Et è conuerso, quam certum est, nostram sententiam esse omnino tutam, & ab illo errore liberam, tam est certum illa testimonia frustra contra eam coaceruari.

2. Ad priorem ergo partem testimoniorum paucis quidem verbis respondet D. Thomas q. 24. de Verit. articul. 1. 4. ad argumenta secundo loco proposita, dicens. Ad ea, quæ sunt in contrarium, patet solutio, quia vel procedunt de bono meritorio, vel ostendunt, quod sine operatione Dei homo nullum bonum facere potest. Quæ verba duas responsiones continent, vel vnam bimembrem. Nam testimonia illa vel loquuntur de opere bono generaliter, & sine vlla determinatione, seu limitatione, & sic non possunt omnia intelligi de gratia proprie dicta, nec de Deo auctore gratiæ, sed abstractè etiam, & generatim. Quia omne opus bonum in Deum tanquam in principalem auctorem, prouisorum, & cooperatorum refundi debet, sed non omne opus bonum eodem modo. Nam si bonum opus sit purè, ac præcisè ordinis naturalis, est à Deo vt auctore naturæ, & ab eius gratuita prouidentia, & influenza, & ita est à gratia generatim, seu largè dicta, hoc est (vt Sancti loquuntur) à gratia condente, non à gratia saluante. Si vero opus bonum sit æterioris ordinis, seu attingat aliquo modo finem supernaturalem, vel ab ipsomet operante ad illum ordinetur, tunc non sufficit proprio auxilio gratiæ saluantis, proceditque à

Pars I.

Bb

bus

bus similes sententias esse intelligendas. Non quia in infidelibus nulla possint esse bona opera, sed quia non sunt in illis bona merita. Quod apertius explicatur in eadem epistola Cœlestini capite duodecimo, his verbis. *His Ecclesiasticis regulis, & ex diuina sumptis auctoritate documentis ita adiuuante Domino conformati sumus, ut omnium bonorum affectuum, atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fateamur auctorem.* In quibus verbis supponitur quidem, etiam ante initium fidei posse esse aliquos bonos voluntatis affectus, & opera, aliâ non fuisset necessaria illa restrictio ab initio fidei, & nihilominus de his, quæ sunt ab initio fidei, dicitur Deus speciali modo author, utique ut est author gratiæ, & donorum supernaturalium. Quia videlicet illi tantum boni affectus, & opera, quæ sunt ab initio fidei, sunt meritoria. Vnde subiungitur. *Et non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita præueniri, per quam sit, ut aliquid boni, & velle incipiamus, & facere.* Vbi etiam constat, idem vocari simpliciter bonum, quod vocatum fuerat meritum.

6. Hæc autem interpretatio intelligi potest, vel de rigoroso merito de condigno, vel generatim de quouis merito perfecto, vel imperfecto, seu de congruo, aut impetratorio, dummodo sit verum meritum alicuius gratiæ, vel doni supernaturalis. Aliqui ergo restringunt illas loquutiones ad prius rigorosum meritum. Pro qua sententia allegari possunt, qui dicunt, Sanctos non appellare simpliciter bona merita, nisi illa, quæ ex charitate fiunt, quia opus bonum sine charitate mortuum est, & ideo nihil reputatur, iuxta modum loquendi Pauli 1. Corinth. 13. Et ideo quando Sancti loquuntur de operibus bonis, quæ fieri non possunt sine gratia, illa intelligunt, quæ in charitate fiunt, ac subinde sunt propriissime meritoria. Quod sentiunt Almain. & Torrens. supra, & pro eadem sententia citatur Soto supra ad 2. sed ibi agit de victoria tentationum, de qua postea videbimus, neque idem sentit de quolibet bono opere, ut constat ex solut. ad 3. Potest tamen illa interpretatio confirmari ex Augustino libro secundo, contra duas epistolas Pelagianorum. nam capite octauo dicit, ad incipiendum opus bonum, & ipsam boni cupiditatem opus Dei esse necessarium, quoniam si boni cupiditas inciperet sine gratia, illa esset meritum gratiæ, & sic gratia non esset gratia. Et tamen addit capite nono. *Quid est boni cupiditas, nisi charitas? Ergo loquitur de merito perfecto in charitate.*

7. Præterea libr. de Grat. & libr. arbitr. cum capite septimo multa de charitate magna & parua dixisset, addit in 18. *Hæc omnia præcepta dilectionis, id est, charitatis, quæ tanta, & talia sunt, ut quidquid se putauerit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fiat bene.* Et ideo ait non posse bene fieri sine gratia, quia charitas ex Deo est, & quia Deus preparat voluntatem, & cæc. ut capite decimo septimo, latius dixerat. Item epistola 106. in princip. cum dixisset, *Opera ex gratia, non ex operibus gratia, rationem adiungit, Quoniam fides, quæ per dilectionem operatur, nihil operaretur, nisi ipsa dilectio Dei diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Nec ipsa fides esset in nobis, nisi Deus vnicuique partiretur mensuram fidei. Quæ ratio supponit, bona opera supponere fidem per charitatem operantem. Vnde inferius adiungit. *Si quis dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus; imo vero gratissime confitemur. Hanc enim fidem volumus habere, quæ impetret charitatem, quæ sola vere bene operatur.* Et ferm. 13. de Verb. Apost. cap. 5. ait, charitatem nobis dari, ut possimus bonam operationem habere.

8. Vnde Prosper, & Fulgent. per omnia Augustiniani, ita etiam videntur bonum opus explicare. Prosper enim epistol. ad Rufin. circa medium tractans locum Pauli 1. Corinth. 13. ubi scientiam, studia, & labores sine charitate nihil prodesse testatur, adiungit rationem, *Quia multa laudabilia, atque miranda possunt*

in homine reperiri, quæ sine charitatis medullis habent, quia dem pietatis similitudinem, sed non habent veritatem. Et contra Collator. capite vigesimo secundo. *Quasi vilius sit (inquit) bone voluntatis motus, nisi quem creauerit diffusus per Spiritum Sanctum charitatis afflatus.* Fulgentius vero libr. de Incarnat. & Gratia capite vigesimo sexto, in eandem sententiam sic inquit. *Quod si quibusdam cognoscentibus Deum, nec tamen sicut Deum glorificantibus, cognitio illa nihil profuit ad salutem, quomodo hi poterunt iusti esse apud Deum, qui sic in suis moribus, atque operibus bonitatis aliquid seruant, ut hoc ad finem Christianæ fidei, charitatisque non referant.* Quibus aliqua quidem bona, quæ ad societatis humanæ pertinent equitatem, inesse possunt, sed quia non charitate Dei sunt, prodesse non possunt. Potest denique hæc interpretatio fundari in illa Theologica, & Augustiniana doctrina, quod charitas est forma omnium virtutum, & quod sine charitate nulla est vera virtus, & in epistol. 52. late Augustinus ostendit, nam in eodem sensu, & in eodem loquutionis genere, sine motione, vel aliquo influxu charitatis nullus est actus vere virtutis, & consequenter neque est simpliciter bonum. Ergo cum Patres dicunt, ad bona opera requiri gratiam, recte de opere simpliciter bono, id est, charitate formato, ac subinde meritorio de condigno intelligi possunt.

9. At verò licet hæc interpretatio ad aliqua loca sanctorum Patrum accommodari possit, ut ea, quæ allegauimus, conuincere videntur; nihilominus in omnia testimonia superius adducta nullo modo conuenire potest. Quia euident est, cum Augustinus, & alij Patres dicunt, esse gratiam necessariam ad omnia opera, non semper loqui de gratia habituali, seu sanctificante, nec de gratia dilectionis Dei super omnia, sed absolute de auxilio gratiæ, quod non solum ordine naturæ, sed etiam tempore potest præcedere charitatem. Sic enim Concilium Arausicum definit, ad voluntatem credendi esse necessarium gratiæ auxilium, & Tridentin. sessione sexta, capite tertio dixit, sine auxilio non posse fieri actus, qui sunt dispositiones ad gratiam iustificationis, utique habitualem. Et Augustinus sæpissime probat, initium fidei, & salutis esse ex inspiratione Spiritus Sancti, cum tamen certum sit, initium fidei, & voluntatem credendi posse tempore præcedere charitatem. Præterea non solum docent Patres contra Semipelagianos, non posse hominem solis viribus liberi arbitrij mereri de condigno primam gratiam, sed etiam nec de congruo, nec merito impetratorio; ergo cum dicunt, nullum opus bonum fieri posse sine gratia, non possunt loqui semper de solo bono opere meritorio de condigno, aliâ ex vi talium definitionum posset præcedere sine gratia opus meritorium primæ gratiæ saltem de congruo, quod quam sit falsum, inferius videbimus. Denique iuxta illam interpretationem non esset definitum, ad omnes actus bonos, qui iustificationem, & infusionem charitatis præcedunt, esse necessarium gratiæ auxilium, quod esse falsum, per se notum est. Ut ergo verum sit, Patres tractantes de necessitate gratiæ ad actus bonos, interdum specialiter loqui de actibus bonis ex charitate, vel in charitate factis, ut Pelagium dicentem simpliciter, omnes actus iustitiæ posse fieri solis viribus liberi arbitrij, ex re clariori euidentius conuincere; nihilominus dici nullo modo potest generaliter, de illis solis actibus loqui Patres, ubique ad bene operandum gratiam exigunt, ac defendunt, ac subinde per bonum opus non possumus vniuersè interpretari opus meritorium de condigno.

10. Alio ergo modo intelligenda est illa sententia D. Thomæ, & communis de opere meritorio abstractè, siue de condigno, siue impetratorio, siue de congruo, siue quouis alio nomine vocetur, dummodo sit meritum alicuius auxiliij, seu doni supernaturalis, quod per modum præmij aliquo modo debiti propter tale opus confere-

De quo merito intelligatur dicta explicatio.

Qui restringant ad meritum de condigno.

Id probari videtur ex Augustino.

Item ex eo. sed addit in 18. Hæc omnia præcepta dilectionis, id est, charitatis, quæ tanta, & talia sunt, ut quidquid se putauerit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fiat bene. Et ideo ait non posse bene fieri sine gratia, quia charitas ex Deo est, & quia Deus preparat voluntatem, & cæc. ut capite decimo septimo, latius dixerat. Item epistola 106. in princip. cum dixisset, Opera ex gratia, non ex operibus gratia, rationem adiungit, Quoniam fides, quæ per dilectionem operatur, nihil operaretur, nisi ipsa dilectio Dei diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Nec ipsa fides esset in nobis, nisi Deus vnicuique partiretur mensuram fidei. Quæ ratio supponit, bona opera supponere fidem per charitatem operantem. Vnde inferius adiungit. Si quis dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus; imo vero gratissime confitemur. Hanc enim fidem volumus habere, quæ impetret charitatem, quæ sola vere bene operatur. Et ferm. 13. de Verb. Apost. cap. 5. ait, charitatem nobis dari, ut possimus bonam operationem habere.

8. Alique ex eius affectu. P. Esper. & Fulgent.

9. Prædicta explicatio de opere bono, id est meritorio de condigno, non quadrat omnibus testimonij.

10. Vera intentio Patrum, de qua nunc modo sit ex auxiliij confere-

conferatur. Et hoc modo est illa expositio verissima, & valde consentanea loquutionibus Sanctoꝝ. Nam, ut vidimus in multis locis, includunt sub illis operibus quæcunque perfecta merita ex charitate facta. Deinde in alijs multis explicant, se loqui de bonis operibus, quæ ex fide sunt, vel sunt initium ipsius fidei, & ipsamet fides. Hoc constat primo ex verbis allegatis vltimo loco ex epistola Cælestini, ibi, *Ab initio fidei*, quod inclusiuè intelligendum est quoad ipsum fidei initium, ut ex re ipsa, & ex alijs locis constat. Virtute autem excludit, quicquid antecedit illud initium: quia non sine causa restringit sermonem ad opera facta ab initio fidei. Et hanc fuisse mentem Augustini, quamuis sufficienter probetur eodem testimonio Cælestini, quod Prosperi etiam esse multi censeant, qui Prosperi optime intellectam habuit Augustini mentem, ostendi etiam potest ex varijs Augustinil locis.

11. Primo ex quæstione secunda ad Simplicium in principio, ubi ait, Paulum præferre fidem operibus, *Præbatur ex principio, ubi ait, Paulum præferre fidem operibus, D. Aug. locis* non ut opera extinguat, sed ut ostendat, non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia. Quomodo autem opera gratiam consequantur, explicans addit. *Ut scilicet, non se quis arbitretur, ideo percepisse gratiam, quia bene operatus est, sed bene operari non posse, nisi per fidem percepit gratiam.* Ecce illud intelligit esse bene operari, quod est ex fide. Et infra dicit, Cornelium iam credidisse, cum se dignum maiori vocatione eleemosynis, & orationibus præbebat. Et infra, neminem posse bene operari, nisi iustificatus ex fide, quod intelligit de iustificatione saltem inchoata. Vnde infra dicit, Nisi vocando præcedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, ut ex hoc incipiat iustificari, & accipiat facultatem bene operandi. Vnde concludit, Ergo ante omne meritum est gratia, ubi, & facultatem bene operandi, fidem ipsam appellare videtur, & quod prius vocauerat bene operari, postea vocat meritum. Et inferius addit. Vnde admonemur, nec ipsis operibus misericordia quemquam oportere gloriarì, & ex illi, quod eis quasi suis Deum promeruerit, quandoquidem ipsam misericordiam ille præstitit, qui misericordiam præstabit, cui misericors fuerit. Ut autem declarat, se loqui de misericordia ex fide operantis subiungit. *Quod si eam, (id est misericordiam) credendo se meruisse quis iactat, nouerit eum sibi præstitisse, ut crederet, qui miseretur, inspirando fidem.* Hinc etiam lib. de Spirit. & Liter. capite trigesimo tertio, tractans verba Pauli ad Ephes. 2. Deus qui operatur in vobis velle, & operari, dicit, Hæc gratia iam est, quam fides imperat, ut possint esse hominis opera bona, addit tamen, quæ per dilectionem operatur, sed subintelligi debet, illam maximè. Et infra subiungit. *Quisquis crediderit, habebit ex eius gratia opera bona, ex quibus bonis æternis satiatur.* Hæc enim sunt formalia verba Augustini, licet breuitatis causa, multa intermedia omissa sint, quæ sensum non mutant.

12. Præterea libro decimo quinto, de Ciuitat. capite vigesimo, ait, non esse opus bonum, Nisi quod præcedit ex fide summi Dei, quod necesse est intelligi de opere meritorio, ne omnia opera infidelium putentur esse peccata, ut supra dictum est. Et similem doctrinam habet lib. de Continent. cap. duodecimo. Vnde in epistol. 107. prius dicit, demonem, quos ex gentibus decipere amplius affectat, aliqua velut opera bona, de quibus laudentur habere finem, omnibus autem modis curare, ut non credant, ne per talia opera, vel Deo placeant, vel ad saluatorem valeant peruenire. Vbi opera antecedentia finem non appellat simpliciter bona, non quia mala sint, ut supra vidimus, sed quia ad meritum coram Deo nihil valent, ergo è conuerso opera bona appellat, quæ possunt habere aliquod meritum saltem ex fide. Vnde paulo inferius subiungit. *Quapropter, ut Deum credamus, & pie viuamus, non est volentis, neque currentis, sed dei misericordis, ut que vocando homines ad fidem, ut statim exponit, & in fine epistolæ concludit. Hæc & alia testimonia diuina, quæ cōtinuorare longum est, ostendunt, Deum gratia sua asserere in-*

Pars I.

fideli bus cor lapideum, & præuenire in hominis bonarum merita voluntatum. Vbi quod sæpe dixerat de necessitate gratiæ ad singula bona opera, explicat per bonarum merita voluntatum, quæ à fide incipiunt, & ideo dicit ad hunc effectum auferre Deum infidelibus cor lapideum. Et in fine de Pelagianis ait. *Illi quippe omnia ad fidelem, piamque vitam hominum pertinentia ita tribuunt libero voluntatis arbitrio, ut habenda ex nobis, non à Domino, putent esse poscenda.* Ergo in contrario sensu dicunt Patres, fidei (ut sic dicam) & pia opera ex gratia esse. Et statim addit de Vitali, ad quem scripsit. *Tu autem (sic ea, quæ de te audio, vera sunt) initium fidei, ubi etiam initium bona piæque voluntatis, non vis donum esse Dei.* Ecce clare vocat bonam voluntatem illam, quæ ab initio fidei incipit, nam de illa erat controuersia cum Semipelagianis, nam de alijs religiøsæ vitæ operibus, quæ procedunt ex fide, iam illi fatebantur esse ex gratia, ut ibidem adiungit.

Simili modo idem Augustinus in toto lib. de Prædest. Sancto. in eodem sensu de bonis operibus loquitur. Cum enim in illo libro præcipue intendat contr. Semipelagianos ostendere, initium salutis, aut fidei non esse ex nobis, reducit omne meritum ad fidem tanquam ad fundamentum, & ostendit, nec fidem, nec fidei initium, quod est sancta, & supernaturalis cogitatio, esse in nobis, nisi ex dono Dei, & ita concludit, nullum meritum apud Deum esse in nobis, nisi ex præueniente, & adiuuante gratia, & ex eodem principio infert, nullum bonum opus esse in nobis nisi ex gratia, quæ illatio non esset bona, nisi per bonum opus intelligeret illud, quod etiam est bonum meritum apud Deum. Quod verbis satis expresse ipse in cap. 2. declarauit, dicens, *Quod ergo pertinet ad Religionem, atq; pietatem, de qua loquebatur Apostolus, finem sumus idonei cogitare aliquid, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, profecto non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis.* Et inde concludit, in omni opere bono, & incipiendo, & perficiendo sufficientiam nostram ex Deo esse. Et in c. 7. addit, ideo iustificari hominem ex fide, & non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus iuste viuunt, iustitia vtique supernaturali, & diuina, hæc enim est, quæ in fide fundatur. Sic etiam dixit de bono persever. c. 12. *Quod attinet ad pietatis viam, & verum Dei cultum non sumus idonei cogitare aliquid tanquam ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et cum eadem proportionem loquitur de operibus bonis, quia cogitantes (inquit) credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus. Ergo per bona opera intelligit illa, quæ ad pietatis viam, verumque Dei cultum spectant, quæ etiam sunt bona merita.

Eodemque fere discursu vtitur lib. de Grat. & liber. arbit. cap. 7. ubi primum supponit, bona merita esse Dei dona, hoc autem probat fere hoc modo, quia bona merita sunt bona opera, quæ non essent bona, nisi illa præcessissent cogitationes bonæ, de quibus ait Apostolus, *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, &c.* Ergo per bona opera intelligit illas, quæ in supernaturalibus cogitationibus fundantur, & ideo sunt bona merita. De quibus infra in eodem cap. dicit, Paulum dixisse, *Non ex operibus, non quia æquauit opera bona, sed quia opera sunt ex fide, non ex operibus fides, ac proinde ab illo sunt nobis opera iustitiæ, à quo est fides, quia iustus ex fide viuunt.* Ergo apud Augustinum, cum agit de necessitate gratiæ, idem sunt bona opera, quod bona merita apud Deum, & ideo et sæpe illa vocat opera pietatis, & opera iustitiæ, quas particulas sæpe addit ad suam mentem declarandam. Ut præter citata loca videre licet in eodem libro de Gratia, & liber. arbit. cap. decimo septimo, ibi, *Sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valeamus.* Et libro secundo, contra duas epistol. Pelagianor. capite quinto, dicens, *Liberum arbitrium hominis lapsi ad bene, pieque viuendum non valere.* Et lib. de Gratia Christi cap. 26. *Gratiam Deificam*

13. Item loca alia.

14. Item alia eod. eod.

Bb 2 confitea

15. *Accedunt
denique alia
non vulga-
ria.
Opus bonū
simpliciter
secundum
August. est
quod ex fide
procedit.*

16. *Ita August.
comment
sunt Prosper
& Fulgent.*

17. *Affertur
Per. Diac.*

confutatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque iustitiam fieri possent dubitet. Et similia fere verba habet epist. 106.

Vnde quia omnem meritum apud Deum ex sententia Augustini fundatur in fide, ut cap. 14. versus finem probatum est, & latius in sequentibus dicitur, ideo solum illud opus bonum, quod ex fide procedit, solet ab Augustino bonum simpliciter vocari, de quo multa supra diximus, tractando de operibus infidelium. Et eadem ratione ferm. 13. de verbis Apostoli. cap. 12. ait, cum dixit Christus, Sine me nihil potestis facere, loquutum esse de bonis operibus, id est, de sacramentorum, & palmitum fructibus, id est, de operibus in Christo factis, & fructuosis ad vitam æternam. Idem quod habet de Spiritu & liter. c. 29. dicens. Deus operatur in homine per fidem Iesu Christi, qui finis est ad iustitiam omni credenti, id est, per spiritum incorporatus factusque membrum eius, potest quisque, illo incrementum intrinsecus dante operari iustitiam, de cuius operibus etiam ipse dixit, Sine me nihil potestis facere. Denique discretis verbis hoc explicat lib. 4. contra Iulian. cap. 3. in fine. Nam cum ille diceret opera bona fieri ab infidelibus, licet sine fructu vitæ æternæ, ipse ad illum sic loquitur. Quoniam saltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam, regnumque perducere: scito nos illud bonum hominum, dicere illam voluntatem bonam, illud opus bonum sine Dei gratia, quæ datur per mediatorem Dei, & hominum nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perducere.

Eodem modo Augustinus intellexerunt, & sententiam suam explicarunt Prosper, & Fulgentius, ille enim ad capitula Gallorum respons. 8. sic inquit: Cum ducentis quatuordecim Sacerdotibus, quorum constitutionem contra inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexus est, veraci professione quem admodum ipsorum habet sermo dicamus gratiam Dei per Iesum Christum Dominum, non solum ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam iustitiam nos per actus singulos adiuvare, ita ut nihil sanctæ, veræque pietatis sine illa habere, cogitare, aut agere valeamus. Vbi non solum dictam limitationem expresse adhibet, & optime explicat, sed etiam ab Africanis Patribus ita fuisse declaratam illam sententiam, significat. Fulgentius vero lib. de Incarnat. & Gratia cap. 19. apertius hoc explicat, dicens. Quod libertas (verique à peccato) quæ non ex humano arbitrio nascitur, sed gratuita Dei miseratione confertur, à bona voluntate sumit exordium, & per fructum sanctificationis in vita æterna plenum sui sortitur effectum. Vbi aperte declarat, per bonam voluntatem intelligi illam, quæ ad sanctificationem aliquo modo confert, & de huius bonæ voluntatis exordio cap. 16. loquutus fuerat. Et similiter in c. 21. in eodem sensu dixit neminem sine gratia aliquid boni velle, quod pertinet ad vitam æternam. Quod etiam Augustinus dixerat epist. 47. scilicet, neminem debere tantum tribuere libero arbitrio, ut sine gratia Dei valeat aliquid facere, ut ad bonum sempiternum perveniat. Nam illud opus dicitur valere ad vitam æternam, seu bonum sempiternum, quod vel illud præmium potest immediate mereri, vel saltem mediare, utique merendo, vel impetrando alia media, quibus ad illam vitam pervenitur, ut Fulgentius dicto cap. 19. exposuit.

Atque eodem modo dixit Petrus Diaconus lib. de Incarnat. & Grat. cap. 6. dicens. Per gratiam dari homini ea cogitare, & desiderare quæ pertinent ad vitam æternam. Et addit. Sine hac igitur gratia potest quidem cogitare, & desiderare humana, non autem potest cogitare, aut velle seu desiderare divina. Omnia enim, quæ ad vitam æternam profunt, merito divina vocantur; opera autem moralia, etiam si honesta sint, si ad æternam vitam nec ordinantur, nec profunt, inter bona merè humana merito computantur. Et similiter in cap. 7. loquitur de bono velle, quod pertinet ad vitam æternam, & cap. 8. ad idem adducit verba supra citata ex Celestino Papa de Bonis meritis, quæ ipse per errorem confundit cum verbis Innocentii in epist. ad Concilium Milevitanum.

In eodem præterea sensu dixit Anselmus lib. de Concordia p. 3. Liberum arbitrium naturale sine adiutorio gratiæ nihil valet ad salutem. Et paulo inferius, Corda, inquit, humana sine doctrina sine studio sponte quasi germinant cogitationes & volūtales, nihil viles saluti aut etiam noxiæ, illas vero sine quibus ad salutem animæ non proficimus nequam sine generis sui semine, & laboriosa cultura concipiunt, & germinant. Et de his infra intelligit illud. Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Quibus addi potest Hieron. lib. 2. Sententiar. cap. 5. vbi cum dixisset, Omnia bona à Deo nobis gratia prementem donantur, statim reddit rationem: nam nihil boni operis dedimus, per quod confessionem fidei mereremur. Vbi aperte loquitur de opere meritorio, & illud simpliciter vocat bonum opus, & inde probat, non posse antecedere fidem, quia non potest esse meritum eius, & hoc est initium boni operis, quod negauerat esse posse sine gratia in lib. 2. de Different. spirituali lib. cap. 27. nam inferius in 30. dicit. Bona opera inchoari ex fide, quia ante fidem nihil potest homo operari, quod pertineat ad salutem.

Deinde, quod maxime considerandum est, hanc limitationem addiderunt, & addendo approbaverunt sacra Concilia Arauticanum can. 7. Si quis per naturam vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, &c. Vbi duplicem limitationem adhibet, una est, ut bonum cogitandum, vel faciendum ad salutem pertineat vitæ æternæ, alia est, ut tale bonum cogitur, eligatur, aut fiat, ut expedit, id est, propter illum finem, & modo illi contentaneo. Et ad tale bonum requirit Concilium illuminationem, & inspirationem Spiritus Sancti. Quæ verba nec insignificant impulsu determinatæ voluntatem, nec naturalem cogitationem, sed altiore internam gratiam, ut supra tactum est, & infra tractando de auxiliis latius ostendetur. Et in eodem sensu addiderat idem Concilium in can. 6. particulam illam, Sicut oportet, & in c. 25. ita inquit, ut nullus aut diligere Deum sicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia ei, & diuina misericordia præuenierit. Et in omnibus his locis iuxta hunc sensum explicat omnia testimonia diuinæ Scripturæ. Constat autem ex dictis, nihil aliud per illas particulas voluisse Concilium Arauticanum, nisi limitare prædictam sententiam, iuxta sensum ab Augustino explicatum. Vnde Concilium Tridentinum sess. 6. canon. 3. addendo illam particulam, Sicut oportet totam doctrinam, & explanationem Concilii Arauticani amplexum est. Et ideo in canon. 2. solum definit, gratiæ auxilium non solum esse necessarium, ut homo facilius possit iuste vivere, & vitam æternam promereri, sed simpliciter ut possit, nam sub iusta vita, & merito vitæ æternæ includit omne bonum opus meritorium aliquo modo spiritualis gratiæ. His addendum est Concilium Moguntinum sub Sebastiano in Decretis fidei cap. 5. vbi de hominibus lapsis dicit, Per libertatem arbitrii (quæ exigua, & infirma in his residet) nondum adiut gratia Dei, ea, quæ sunt Spiritus, & ad salutem conferunt, nec agnoscere, nedum appetere queunt.

Ad hæc tandem omnia dicunt contrariæ sententiæ defensores, omnia opera moralia esse opera pietatis, quia hæc ratione opera misericordiæ vocantur communiter pietatis opera, ut tradit August. 10. de Ciuit. capit. 1. & ideo ferm. 45. ad Fratres in eremo, sub nomine pietatis omnes virtutes morales enumerando, quinque pietatis gradus complectitur. Item dicunt omnia opera bona moraliter, esse meritoria, quia hæc est proprietas intrinsecæ annexa bonitati moralis, & esse meritoria apud Deum, quia sunt illi placita, non enim potest non placere illi, quod honestum est, & ad illum pertinet, vnicuique reddere secundum opera sua. Vnde etiam dicunt, hæc opera conferre ad salutem æternam, vel per se, per rationem proximè factam, vel saltem per accedens, remouendo peccata, quæ saltem damnum fiunt, impediunt, ne homo peccet, quod

18. *Probat
deinde dicta
vera multi-
gentia ex
Cont. Aru-
sic.*

19. *Adversari-
um eius
scriptum.*

quod aliqua est utilitas ad salutem, & Ideo Iob. 28. dicitur, recedere à malo, pertinere ad sapientiam, seu intelligentiam.

20. Respondetur, Patres in citatis locis, cum loquuntur de operibus pietatis, & veræ religionis, loqui de Religione Christiana, seu de pietate, quæ à fide diuina, & supernaturali sumit initium, vt manifeste patet ex illis verbis Augustini in epistol. 107. *Quapropter vt in Deum credamus, & pie viuamus, non est volentis, &c. & illis, Omnia ad fidem, piamque vitam pertinentia. Et euidentius ex illis, Initium fidei, vbi est etiam initium bonæ pietatis voluntatis. Item ex verbis eiusdem in dicto capit. 2. de Prædest. Sanctior. Fides, vnde pietas exordium sumit, donum Dei est, &c. Quocirca licet opera misericordix soleant more vulgi opera pietatis appellari, quia specialiter à Deo commendantur, vt Augustinus dicto cap. 1. lib. 10. de Ciuitat. dicit, nihilominus propria ratio pietatis consistit in vero cultu Dei, vt idem Augustinus tradit lib. 12. de Trinit. cap. 14. & lib. 14. cap. 1. & lib. 4. de Ciuit. cap. 23. & lib. 5. cap. 15. & 20. & ideo in eodem lib. 10. c. 6. dicit, ipsam misericordiam, quæ hominibus præstatur, si propter Deum non fit, non esse sacrificium. Et quauis non negemus posse dari aliquam pietatem naturalem, & honestam ad verum Deum vt autorem naturæ, nihilominus Augustinus, & ceteri Patres loquentes ad fideles, & instruentes illos in ordine ad finem supernaturalem, illam vocant simpliciter pietatem ad Deum, quæ in fide fundatur, vt patet ex eodem Augustino epistol. 29. & lib. 2. de Ciuit. cap. 39. & alijs locis allegatis.*

21. Et in præfenti materia euidentius constat, Patres, Dubius alijs & Concilia in hoc sensu loqui de operibus pietatis, huius August. quæ propterea etiam vocant opera iustitiæ, quæ in fide fundantur. Ad quod ostendendum possent mul- tum ex Augustino adduci, duo vero tantum loca indicabo, vnus est lib. de Spir. & liter. cap. 28. vbi cum de Gentilibus, & Iudeis dixisset, *Nam & ipsi homines erant, & vis illa natura inerat eis, quæ legitimam aliquam animarum rationalem, & sentit, & facit*, subiungit. *Sed pietas, quæ in aliam vitam transfert beatam, & æternam, legem habet immaculatam conuergentem animas, vt ex illo lumine renouentur, sicut in eis signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* In quibus verbis pietatem, seu piam vitam distinguit ab operatione, quæ ex vi luminis, & rationis naturalis legitime fieri potest, in hoc, quod per pietatem peruenitur ad beatitudinem, & vitam æternam, ad quam lex sola naturæ perducere non potest. Alter, & optimus locus in epistol. 130. vbi loquens de quodam Polemone gentili, qui ex luxurioso fuerat continens factus, non ita gentilica superfluitate, inquit, Polemo ergo si ex luxurioso continens factus, ita sciret cuius esset hoc donum, vt cum abiectis superstitionibus gentium pie coleret, non solum continens sed etiam veraciter sapiens, & salubriter religiosus existeret, quod ei non tantum ad præsentis vitæ honestatem, verum & ad futuram immortalitatem valeret. In quibus verbis aperte distinguit continentiam, quæ potest esse in homine gentili ab illa, quæ cum vera pietate, & religione potest esse coniuncta, & priorem dicit tantum valere ad honestatem huius vitæ, posteriorem vero etiam ad æternam vitam. Hec ergo est sine dubio mens Augustini. Sermo autem 45. ad Fratres, &c. non creditur esse Augustini, & nihilominus potest exponi, quod latiori modo de pietate loquutus sit: præterquam quod omnes illi modi pietatis, qui ibi numerantur, intelligi possunt de similibus actibus Christiano modo factis, & in fide fundatis.

22. Ad secundam partem responderetur, actum bonum moraliter mere naturalem placere quidem Deo auctori naturæ, sicut illi placent cætera bona naturalia, vnumquodque iuxta gradum suum. Et simili modo probabile est talem actum esse de se meritum alicuius præmij eiusdem ordinis, & hoc ad summum suaderi obiectione, seu euasione proposita. At vero talis actus per se spectatus non ita placet Deo, vt ad remunerationem aliquam supernaturalis illum acceptet, Pars I.

quia de se non habet cum tali premio proportionem. Sicut enim dixit Paulus ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*, vtique in ordine ad veram iustitiam, & æternam vitam, ita & nos dicere possumus, opus, quod non est ex fide, non posse placere Deo, vtique perfectò modo iam explicato. Vnde licet Paulus in illis verbis de persona tantum loqui videatur, nihilominus ad actus personæ illa verba extendit Prosper contra Collator. cap. 22. dicens, *Quasi nullus sit bonæ voluntatis motus (vtique meritorius) nisi quem creauerit diffusa per Spiritum Sanctum charitatis afflatu, sine fide enim impossibile est placere Deo.*

Ad vltimam denique partem responderetur inprimis, bonum opus mere naturale, præsertim solis viribus arbitrij factum, per se non cõferre ad remissionem præcedentium peccatorum, neque ad spirituales animæ salutem, neque ad vitam æternam, quia neque hominem ad hæc bona disponit, neque illa meretur, aut impetrat, vt latius infra contra Semipelagianos dicitur. Per accidens autem, negare non possumus, actum bonum pro eo tempore, quo fit, iunare impediendo ne homo actu peccet, hoc tamen non solum per actum bonum, sed etiam per actum indifferenter (si fortè detur) fieri potest, imo etiam per formum, & alijs modis fieri contingit. Et ideo nullum inde argumentum sumitur, illud esse opus gratiæ; alioqui omnia media, quæ impediunt actuale peccatum, essent proprii effectus gratiæ, & ita neque opus indifferens fieri posset sine gratia. Et quauis Augustinus gratiæ Dei imputandum dicat, quod plura peccata non committimus, id intelligendum est de gratia cuiusdam prouidentix, & protectionis extrinsecæ, quæ supernaturalis prouidentix erit; imo etiam prædestinationis medium, quæ ad effectum consequendæ salutis ordinata fuerit, & aliquo modo conducat. Sic enim iam diximus, bonum actum morale posse interdum esse effectum prædestinationis, etiam si absque auxilio gratiæ fiat. Patres ergo loquentes de actibus cõducentibus ad salutem, & vitam æternam sine dubio loquuntur de actibus per se influentibus (vt sic dicam) seu tendentibus in illum finem, vt ex his, quæ diximus, satis est manifestum, & ideo actus mere naturales sub illis verbis non comprehendunt.

Ex his ergo satis responsum est ad testimonia Scripturæ, Conciliorum, & Patrum: nam quæ in aliquibus locis sine limitatione, vel declaratione dicere videntur, per alia, in quibus per determinationem, & expositionem addunt, interpretanda sunt. Non enim poterant in singulis locis eadem verba repetere, nec necessarium erat, tum quia ex totius doctrinæ serie, & ex testimonijs Scripturæ, quæ allegant, id facile poterat intelligi, tum etiam quia loquuntur ad fideles, & credentes in Christum, & eos docent, quibus viribus & auxilijs vitam æternam, veramque iustitiam consequuturi sint, & quam gratis eis conferatur gratia, qua saluantur. Neque oportet ad singula testimonia in particulari respondere, quia omnium est eadem ratio, & si in nonnullis eorum aliqua superest difficultas, pertinet ad alteram partem testimoniorum, de quibus statim dicemus sequenti cap.

Vnde vltimo inferre possumus, prædicta testimonia non solum receptam sententiam non expugnare, verum potius confirmare. Nam Patres non frustra, neque sine magna causa addunt limitationes illas, nobis potius sicut oportet, ab initio fidei, opus pietatis, iustitiæ, vel religionis, vel conducent ad vitam æternam, vel ad salutem, aut remissionem peccatorum, aut denique opus meritum. Nam si per hæc omnia solum voluissent excludere, ne opus habeat circumstantiam malam, superuacanea profecto fuisset tanta diligentia, & tam accurata, & repetita circumspectio; quia loquendo de actibus simpliciter bonis eo ipso intelligendi erant saltem de actibus nullam habentibus malitiam ex aliqua circumstantia, quia hoc est de ratione operis simpliciter boni, nam malum est ex quocumque defe-

actu. Ed vel maximè, quod non tantum loquuntur de actibus bonis, sed etiam illos distinguunt à malis, & peccaminosis. Ergo etiam hoc titulo essent superflua omnes illæ declarationes, & modificationes actuum bonorum, si nihil aliud dicere voluissent, nisi quod ad actum bonum ex obiecto, & circumstantijs sit gratia necessaria; ergo sine vilo dubio declarare voluerunt, se postulare gratiam ad actus peculiares, ad æternam salutem conferentes. Quod in alijs locis apertissime declarant, dicentes, se loqui de actibus à fide procedentibus, vel per charitatem operante, vel vi sua impetrante. Ergo tacite, vel (vt sic dicam) per argumentum è contrario, vel ab speciali supponunt, opera bona inferioris ordinis, & modi posse esse interdum à libero arbitrio sine gratia.

26.
Confirmatur
Concil.
Trid.

Et inter alia, non parum nostram sententiã iuuat, quod in sess. 6. canon. 1. dicit Concilium Tridentinum, per opera hominis, quæ vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam absque gratia fiunt, non posse illum iustificari. Nam Concilium supponit, talia opera fieri posse, ita vt non sint peccata, alias superflua esset definitio; ergo sentit, licet possint esse bona, non esse ad iustificandum sufficientia, & hoc modo directe contradicit Pelagius; contra quem canon ille editus est. Et in eodem sensu dixerat in cap. 8. ideo dici hominem gratis iustificari, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera iustificationem non merentur, vbi probabile est, loqui Concilium de toto negotio iustificationis ab initio vsque ad consummationem eius. Et nihilominus supponit ante totam iustificationem posse præcedere opera, vtique bona, nam de malis quis diceret, esse meritoria iustificationis? Merito ergo asserimus ex mente Conciliorum, & Patrum posse dari aliqua talia opera ante illud auxilium gratiæ, quod Patres requirunt ad singula opera iustificationis, vel, quod idem est, ab initio fidei.

C A P V T XXI.

Liberum arbitrium sine auxilio non nisi ad peccandum valere, quo sensu interdum à Concilijs, vel Augustino dicitur?

1.
Satisfit alijs
testimonijs
allatis c. 19.
anum. 7.

Falsa est in
vigore illa
propositio:
Liberum ar-
bitrium de
se nihil va-
let, nisi ad
peccandum.
Pius V
Greg. XIII.

Superest, vt ad alteram partem testimoniorum, quibus in c. 19. à nu. 7. vsque ad finem, contra prædictas interpretationes instabatur, respondeamus. Summa vero omnium erat, quia Patres non solum dicunt, liberum arbitrium indigere gratia ad bene operandum in singulis actibus, sed etiam asserunt, peccare in singulis, si solum, & sine auxilio gratiæ relinquantur. Ad quod in primis dicimus, sententiam hanc: liberum arbitrium hominis post lapsum suis viribus relictum non nisi ad peccandum valere: in rigore, & proprietate intellectam falsam simpliciter esse, & non posse ab vilo Theologo defendi. Nam eandem asseruit Michael Baius in 28. assertionem his verbis. *Liberum arbitrium sine gratia Dei adiutorio non nisi ad peccandum valet.* Et tamen Pius, & Gregorius Pontifices eam simpliciter reprobant, & sub censura sua generali comprehendunt: quia iuxta intentionem authoris in proprietate verborum asserbatur. Nec dici potest, reprobata esse, eo quod cum aliqua exaggeratione, aut censura, quæ alijs scandalum afferre posset, ab autore proferretur: nam ex tenore verborum constat, simpliciter, & sine vlla censura contrariæ sententiæ, proponi: & nihilominus tanquam falsam, & censuram dignam cum alijs refutari. Et reuera multum fauet hæreticis huius temporis, qui nimiam quandam, & monstruosam corruptionem in humana natura lapsa confingunt: nam inter alia dicunt, hominem lapsum, & gratia destitutum semper peccare, nihilque agere posse, quod malum moraliter non sit, non solum quia sine malo positivè, aut saltem priuativè, id est, non propter debitum finem, operetur, vt

quidam Catholici docuerunt (quos ipsi malè curiosos vocant) sed etiam propter depravationem naturæ. Quæ tamen nimia depravatio falso conficta est, & nec in Scripturis, vel Patribus fundamentum habet, & contra omnem rationem est, ac plane intelligibilis. Alioqui etiam homo in pura natura eandem haberet depravationem, quod est contra bonitatem naturæ, & authoris eius. Consecutio autem tenet ex superius dictis, vbi ostendimus, non minores esse vires liberi arbitrij in natura lapsa, quam in pura, nec in statu, & potestate bene, vel male operandi inter se differre. Item ex illa assertionem sequitur, omnia infidelium opera esse peccata, quod facile hæretici concedunt; imo idem dicunt de homine in statu peccati existente: quàm vero vtrumque falsum sit, supra est ostensum.

Cum ergo hæc ita sint, credendum sine dubio est, Augustinum, & sequaces in locis allegatis non fuisse in hoc sensu loquutos, vt quidquid liberum arbitrii sine auxilio gratiæ operatur, aut operari potest, eo ipso verè, ac proprie peccatum sit. Prima ergo expositio est, vt tale opus dicatur peccatum, non quia veram malitiam moralem habet, sed quia nullum meritum, vel utilitatem habet ad vitam æternam, in quo multum à bonitate Christiana deficit, & propter huc defectum large vocatur peccatum, quia in hoc æquiparatur peccato. Ita respondent Soto, Vega, Ruard, & Osius supra. Quæ expositio non est contemnenda, nam & aliquibus locis adaptari potest, & habet aliquod fundamentum in Augustino dicente, *Impius etsi bona videatur facere, tamen quia facit sine fide, nec bona vocanda sunt.* Præfat. ad Psal. 31. in fine, & multa similia habet in locis allegatis hic, & supra cap. 7. tractando de necessitate fidei ad bonos actus morales. Nihilominus si generatim intelligatur, & tanquam ad æquata tribuatur, non nobis supra placuit, tractando de actibus infidelium propter motum ibi propositum.

Alia ergo expositio ex ibidem dictis desumi potest, opera sine gratia facta non solum inutilia esse ad vitam æternam, sed etiam raro esse omni ex parte bona, & præsertim ex intentione finis, & maximè in infidelibus, & ideo ab Augu. prætermitti in enumeratione, & partitione operum liberi arbitrij. quæ tam rara sunt, & tam parui momenti, tanquam nulla reputantur. Per hoc tamen non excludit Augustinus, quod alijs locis fatetur, posse esse in homine omni gratia carente aliquod opus morale in suo ordine simpliciter bonum, sed quia illud rarum est, & ad disputationem contra Pelagianos nihil refert, illud prætermittit. Vnde cum Augustinus, vel alij Patres ex doctrina eius, dicunt simpliciter omnia opera liberi arbitrij sine gratia facta esse peccata, intelligunt regulariter loquendo. Quæ responsio sustineri potest, & illustrari his, quæ dicto c. 7. de mente Augustini circa actiones infidelium diximus. Et præcipue ex libr. de Perfect. iust. c. 19. & lib. de Spir. & Liter. c. 28. vbi ait, in homine carente superiori lumine vix inueniri honestum opus ex fine, nam particula *vix* indicat esse rarum, non tamen nullum.

Tertia expositio esse potest, Patres loqui iuxta materiam subiectam, & errorem, quem impugnant. Pelag. enim censebat, hominem suis viribus posse ita operari, vt & veram iustitiam, & vitam æternam consequatur. Patres ergo cum illum impugnant, de homine loquuntur vt tendente ad vitam æternam, & de operibus eius vt conducentibus ad illum finem, vel ab illo auertentibus, aut retardantibus, & quia hæc non fiunt, nisi per opera iustitiæ, & gratiæ, vel per peccata, ideo non considerant medium inter opera conducentia ad illum finem, & ab illo auertentia. Et ita comparando, hæc duo extrema, dicunt, non habere liberum arbitrium de se, nisi peccatum, quia si quid boni operatur in ordine ad illum finem, non suis viribus absque Dei gratia id facere potest. Per hoc autem non intendunt excludere à voluntate humana ab-